OFFICIVM
S. ISIDORI
AGRICOLÆ

Recitandum ſub ritu duplici.

Die 15. Maij.





ROMÆ;
Ex Typographia Reu. Cam. Apoſt.
M. DC. LVII.

OFFICIVM
S. ISIDORI
DVPLEX.

Omnia de communi Confessoris non Pontificis, præter ea, quæ hic sequuntur. Sed in fine ad inuitatorium, Añas, Vesp. Resp. tam breuia quam alia, additur Alleluia, & tres Psalmi dicuntur in quolibet Nocturno sub prima Aña illius Nocturni, nisi transferatur.

Et in fine Hymnorum eiusdem metri. Gloria tibi Domine, qui surrexisti, vel, Qui scandis, iuxta rubricas.

Capitulum. *Iacobi. 5.*

ECce Agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum, & serotinum. Patientes igitur estote vos, & confirmate corda vestra.

Ad Magnificat, Aña.

Labores manuum suarũ, quia manducauit, esurientem impleuit bonis Dominus Deus noster. Alleluia.

Oratio.

DA nobis quæsumus misericors Deus, beato Isidoro Agricola Confessore tuo intercedente, superbè non sapere, sed eius meritis, & exemplis placita tibi semper humilitate deseruire. Per Dominum nostrum Iesum Christum &c.

IN I. NOCTVRNO.

De Epist. B. Iacobi Apost.

Lectio i. *Cap. 5.*

PAtientes estote fratres, vsque ad Ad-

 uen-

uentum Domini. Ecce Agricola expectat pretiosum fructum terræ, patiẽter ferens donec accipiat temporaneum & serotinũ. Patientes igitur estote vos, & confirmate corda vestra, quoniã aduentus Domini appropinquabit. Nolite ingemiscere, fratres, ecce iudex ante ianuam assistit. Exemplũ accipite, fratres, exitus mali, & longanimitatis, & laboris, & patientiæ.
℟. Euge serue bone.

Lectio ij.

ECCE beatificamus eos, qui sustinuerũt. Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est & miserator. Ante omnia, fratres, nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem sermo vester, Est, Est: Non, non: vt non sub iudicio incidatis. Tristatur aliquis vestrum? oret: æquo animo est? psallat: infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmũ.
℟. Iustus germinabit.

Lectio iij.

COnfitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini: multũ enim valet deprecatio iusti assidua. Elias erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, vt non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursus orauit, & cælũ dedit pluuiam, & terra dedit fructum suũ. ℟. Iste cognouit.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

ISidorus Agricola prope Matritum Hispaniæ vrbem, in qua natus fue-

fuerat, mercede colendis agris conductus, breui, magnarum sibi virtutũ eo in exercitio vberrimam segetem parauit. Admirabilis enim Christi, ac Sãctorum imitator, nunquã ad opus mane se conferebat, nisi prius Dei regnũ studiosè quæreret, Ecclesiasque in ipsius ac Deiparæ honorem dicatas visitaret. Quare cum illius morã agri Dominus grauiter ferret, atque ex editiore loco quadam die, vt eum liberius increparet, Agricolam operiretur, binos Angelos candida veste, duplici boum iugo arantes, mediumque inter illos Isidorum conspexit. Quo miraculo vulgato, magno deinceps honori, tam apud herũ, quã apud cæteros homines haberi cœpit. ℟. Honestum fecit.

Lectio v.

CHaritate in pauperes adeo flagrauit, vt mercedem, quam laboribus parabat, egentibus erogaret. Tùm etiam cũ aliquando ad commune cum reliquis cõfratribus prandium plurimos pauperes adduxisset, nihilque aliud, prandio scilicet finito, quam pulmenti partem sibi reseruatam repeꝛisset, illam vir Dei fide singulari fretus, ita distribuit, vt admirabiliter aucta ijs omnibus alendis, saturandisque sufficeret. Illud etiam inter cætera mirandum, quod per æstiuos calores, ad extinguẽdam in agro sitim, aquæ potum, hero flagitante, cum nullibi scateret, Isidorus stimulo, quem gerebat, humo percussa, vberem ex ea & perennẽ ad hæc vsque tempora fontem elicuit.

℟. Amauit eum.

Lectio vj.

IGitur sanctitate clarus, cum ad vltimam senectutem

ctutem peruenisset, abdormiuit in Domino, & in cæmeterio S. Andreæ sepultus, tamdiu ibi iacuit, quoad ciues de ipsius corpore honestius in Ecclesia collocando diuinitus moniti, illud in loculo integrum atque adeo incorruptum inuenerunt, vt ex eo suauissimus odor, qui hac etiã tempestate perdurat, efflaret. Sanctum corpus in Ecclesiam transflatum, & in editiore loco situm, maximis Deus miraculis illustrauit. Quorum beneficientiam non semel tã ipsa Matriti Ciuitas, quam etiam cætera Hispaniæ loca, ope ipsius implorata persenserunt. Quem postremo post annos fere quadringentos fama Sanctitatis, ac miraculis illustrem Greg. XV. in Sanctorum numerum retulit. ℟ Iste homo.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

Lectio vij. *Cap.* 15.

IN illo tempore: dixit Iesus discipulis suis: Ego sum vitis vera, & Pater meus Agricola est. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii PP. *Lib.*7.*Reg.Epist.*32.

PER semetipsum veritas dicit, Pater meus Agricola est, & omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eũ: & eum, qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Palmes enim infructuosus tollitur, quia peccator funditus eradicatur, vt ad vberiorẽ gratiã perducatur. Sic enim spicarum grana tribulis attrita, aristis, & paleis mundantur. Sic oliuæ prę-lo pressæ, in olei pinguedine defluunt. Sic botri vinearũ pressi calcibus, in vinũ liquescunt. ℟ Iste est

Le-

Lectio iiij.

Ex eodem, Tract. in 7. psalm. Pœnit. ad 6. Psalm.

QVI manet in verbo, nõ fraudatur a regno. Aliter namque fructum facere non possumus, nisi in eo maneamus. ideoque ait: manete in me, & ego in vobis. Vbi enim manendũ nisi in ipso? deficient domus, palatia corruent, destruetur ciuitates, ab imis sedibus turres euellentur: verbum autẽ Domini manet in æternum. Maneamus ergo in eo, qui manet in æternum.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

NON sequamur vanitatem, deserentes veritatem, nec contristemur sicut cæteri, qui spem non habent. Sed sustineamus eum, & si moram fecerit, expectemus; ne contingat nobis, quod per Prophetã dicitur: Væ ijs, qui perdiderunt sustinentiã. Quicumque mundanæ aduersitatis fractus molestijs, diabolicæ tentationis infestatione deiectus, à spe cælestium promissionum deciderit, sustinentiæ, quam prius habuerat, mercedẽ amittet: qui vero sustinebit, magnam reportabit remunerationem. Te Deum.

AD LAVDES

Et per horas. Aña.

Domine, quinque talenta tradidisti mihi &c.

Capitulum. *Iac. 5.*

ECce Agricola spectat pretiosum fructum terrę, patienter ferens donec accipiat temporaneũ & serotinum. Patientes igitur estote vos, & confirmate corda vestra.

Ad Benedictus, Aña.

EXijt, qui seminat, seminare semen suũ, & aliud cecidit in terrã bonam, & ortũ fecit fructum centuplũ. Alleluia.

Ora-

Oratio.

DA nobis, quæsumus, misericors Deus, Beato Isidoro Agricola, Confessore tuo intercedente, superbè nõ sapere; sed eius meritis & exẽplis placita tibi semper humilitate deseruire. Per Dominum nostrum &c.

Ad Tertiam. Aña. Euge serue bone.

Capitulum. Ecce Agricola, vt supra.

Ad sextam. Aña. Fidelis seruus.

Capitulum. *Iac.5.*

ECCE beatificamus eos, qui sustinuerũt. Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis: quoniam misericors Dominus est, & miserator.

Ad Non. Aña. Serue bone.

Capitulum. *Iac.5.*

MVltum valet deprecatio iusti assidua. Elias homo erat similis nobis passibilis, & rursum orauit, & terra dedit fructum suum.

In secundis Vesperis omnia vt in primis, preter Antiphonã ad Magnificat.

Ecce homo Agricola iste fuit, quoniam Adam exẽplum eius, ab adolescentia sua ad seruiendũ Deo viuenti, Alleluia.

Et fit commemoratio S. Vbaldi.

V R B I S.

FR. Lucas Vvaddingus Ord. Reformat. S. Francisci institit attribui facultatem Fratribus Conuentus S. Isidori in Monte Pincio recitandi Officium proprium S. Isidori Titularis, ad vsum Cleri Castellæ à San. me. Vrbano VIII. approbatum. Et Eminentiss. Patres Sacr. Rit. Congreg. Præpositi, ob peculiarem erga eandem Congregationem Oratoris Religionem, Fratribus prædictis gratiam petitam indulserunt. Die 10, Iunij 1656.

I. Episcopus Sabinen. Card. Sacchettus.

Loco † sigilli. Franc. Mar. Phæbeus Sac. Rit. Cong. Secr.